

Excidium vere horribile

Abbatiae Sti Maximini prope Treviros,
conscriptum ab oculari teste Alexandro Henn,
ejusdem coenobii Religioso et postea Abbate.

(Continuatio. Cfr. fasc. I. h. ai. pg. 186—191.)

Iam vero de insanis eorum potationibus quid eloquar! Fabulam olim credebam esse, Maximinum illum a Thracia imperatorem dum ampliora eum capitolina diurnam sitim subinde placasse legerem: fidem dubitanter adhibebam Plinio secundo, cum *Histor. 24. c. 22* immanes illos vini gurgites bicongios Ciceroneos, tricongios Novellios, Drusos, Agrippas, Antonios, Pisones, in portentosae temulentiae theatrum inducit; sed et illam Galli nostri historiam fecerunt et istis fidem non dubiam conciliarunt . . . Diurnabant nimirum primo maxime biduo ac pernoctabant in poculis ventriosi calicum remiges, nec prioris ingluviei crapulam edormire gulae sinebat vesania, sed Parthorum in morem ebrii bibebant, dum sobrii fierent alternaque siti novam ebrietatem quaererent gallico prorsus artificio, quod vel ipse Apicius miretur se nescisse; quin et lurconibus his parum videbatur tam ingenui roris nectar propudiose corrumpere, nisi et obscoenis ludibriis infamarent tantumque ad virium ostentationem meraci liquoris vim infunderent, ut statim nauseabundo e stomacho redderent rursusque haurirent, idque iterum tertioque, tanquam ad perdenda vina geniti et tanquam effundi illa non possent nisi per humanum corpus.

Durarunt insana haec orgia per integram quindenam, quo tempore portentosis assidue injuriis non sobrietas duntaxat, sed omnis ingenuitas etiam et honestas expugnabatur; nam autorati hi Bacchi sacrificuli nec ipsi quietem interea pati, nec religiosi indulgere requiem, sed diu noctuque potitare, cantillari, tumultuari, ostia perfringere ac nisi postulata ad nutum suppeditentur, strictis mucronibus irrumpere exitiumque minari, adeo ut calamitoso hoc tempore afflictissimis S. Maximini religiosi cum S. Ignatio martyre in epistola ad Romanos jure lamentari liceret: »sine intermissione pugnamus ad bestias nocte dieque ligati cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui nos custodiunt, quibus et cum bene feceris, pejores fiunt; sed et cum eodem nos solamur dicendo: »iniquitas ipsorum doctrina nostra; nunc enim incipimus Christi esse discipuli!«

Ubi per quindenam cum feroecissimis hujusmodi leopardis in aedibus nostris veluti in arena depugnatum est, nec tamen (quod exspectabatur) oculi, qui jam dudum animam omnem cum auro in gazophylacium francicum exhalarent, fuissent expugnati:

regius in urbe quaestor zonam¹⁾ nos perdidisse conspicatus importunas has belluas tum quidem ex aedibus nostris amovet, ferale interea consilium animo coquit, quo vel ab invitis tributorum solutionem extorqueret. Id vero quominus protinus designaret, fecit obsidendae a caesareano milite urbis Treviricae periculum, quo evanescente mox conceptum animo facinus prodidit. Mittuntur sub Decembris ineuntis Calendas ad aedes nostras commissarii, qui cellas iterum vinarias lustrent, vasorum numerum ad notam sumant, singula gustent meliorisque notae probas ad Intendentem deferant. Redeunt deinde post dies pauculos, caveam sibi quanto citius ad extrahenda juxta Quaestoris imperium vina recludi imperant. At dum infami fortunarum nostrarum direptioni cooperari nefas ducimus atque necessaria vitae subsidia nobismet ipsis subtrahere renuimus, illi effractis per vim repagulis in caveas irruunt; nullaque de pretio facta mentione decem ferme delicatioris saporis plaustra, cum notabili monasterii pernicie ob morae impatientiam minime per transvasationem elutriata,²⁾ extrahunt ac in deputatas aedes frustra nobis protestantibus avehunt, toties postliminio redituri, ut et ipsi interminabantur et nos jure extimescebamus, dum vel extrahenda deficerent, vel ex divenditis necessariis nobis vitae adminiculis praetensas enormes illas contributiones corraherent, atque ita beato quasi stillicidio sanguinem omnem e religiosorum venis exsugerent.

Exhauserant jam totam immanitatis officinam regii quaestores, cum praetensa mense Iunio ad Calendas usque Ianuarii 1675 tributa a clero Trevirico extorquerent. Sed cum efficere, quod volebant, apud solvendi impotentes non possint, tandem sed serius vela vertunt, lenitatem simulant, gratiam regiam pollicentur atque, ut ad praeteritorum sex mensium tributa solvenda exhaustos et incautos pelliciant, ad undecim. Idus Decembris ingenti tympanorum strepitu per celebriores urbis vicos subsequutura; cum novi anni auspicio libertatis ab tributorum onere spem certam proclamant iis, qui vetera tributa ad aerarium regium deferre non neglexissent. Verum mellea hac sed dolosa promulside e clero ne unus quidem captus est; omnes uno ore obstitere. Si exigendi aliquando videre finem vellent, dandi prius sibi faciendum esse putarunt, non defutores unquam titulos novos Gallis, quibus obarmati etiam veteribus persolutis nova iterum iterumque tributa imperent; praestare igitur, frui tantisper secuturi temporis gratia, quam praeteritorum mensium solutionem accelerare. Et favit aliquamdiu votis atque expectationi fortuna, cum, veluti pactis utrimque induciis, nec illi solutionem consueto furore deposcerent,

¹⁾ Zona, Geldbeutel; zonam perdere, kein Geld mehr haben.

²⁾ elutriare, abgiessen in ein anderes Gefäss, den Wein abstechen.

nec isti ultro deferrent. Verum quemadmodum insolitam Oceani malaciam inopina tempestas, ita novas has inducias horridum repente bellum exceptit.

Trepidabant ad novum belli classicum universae congregationes religiosas, sed praesertim patres Maximiniani, in quos utpote specialiter ab amicis commendatos primum itum ac saevitum est. Cum nec terroribus flecti, nec irrogatis suppliciiis frangi, nec denique fucato verborum lenocinio in fraudem induci possent patres, quibus praeter alimenta supererat nihil: versis armis quaestores in ipsas religiosorum personas pugnandum rati sunt et haec vitae necessaria ipsis demum subtrahere atque ita juxta stygii administri consilium fame ad deditioem compellere decernunt.

Mittuntur igitur ad Maximiniani refugii domum iterum iterumque commissarii, restantium contributionum urgetur solutio, qua non comparente lustrantur domestica penoria, numerantur, probantur, notantur, sequestrantur, regio aerario adjudicantur. Singula deinde, ne quid in quotidianam religiosae congregationis sustentationem efferre posset, ocluduntur cellarum ostia, adducuntur pessuli, ¹⁾ appenduntur serae; affertur liligerum regis sigillum, aptatur cera illo singulis ostiis appresso communiuntur serae ac ita quibusdam veluti loricis contra omnem vim et dolum sollicite obfirmantur, non prius patribus reserandae quam aurea numeratae pecuniae clave ferreos ministrorum Gallicorum animos expugnassent, quam reperire cum esset impossibile, esurire et sitire inter alimenta propria aut, quod sperabant Franci, deserere etiam urbem infelices religiosi coguntur. Pro Dei et hominum fidem! Ecquis vel inter gentes immanitate barbaras ejusmodi unquam in Religionis suae sacerdotes exercitam tyrannidem audivit! In Aegyptiaca illa septem annorum sterilitate fameque, cum regni totius incolae pro obtinendis a rege alimentis thesauros primum suos profunderent, dein et pecora jumentaque passim adducerent, demum se, filios agrosque suos in perpetuam servitutem divenderent, terra tamen sacerdotalis, ut sacrae loquuntur paginae, libera ab hac conditione fuit, sacerdotibus siquidem statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. (Gen. 47.) Quis ad religiosam hanc barbari regis in sacrificiis munificentiam cum barbara istorum tyrannide collatam non altum exclamet: »Rex Aegypti surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam.« Surget profecto, surget aliquando, rex christianissime, barbarus Aegypti Dominator in decretoria illa magni iudicii die, ac vicariorum tuorum in Dei viventis ministris achristianam prorsus in illo

¹⁾ Riegel.

orbis universi theatro publice confundet, coarguet, accusabit, condemnabit barbariem. Ille invalescente per regnum fame oblatas ultro sacrificulorum suorum facultates regio religiosoque animo respuit, cum tui in urbe Trevirensi vicarii a catholicis sacerdotibus, quos Domini vicarios Ambrosius appellat, per vim intolerabilem atrocissimaque supplicia fortunas universas extorqueant. Ille profanas Satanae ministrorum possessiones regiis suis praediis accenseri noluit, cum tu ad oppignorandum distrahendumque profanis hominibus Christi Iesu patrimonium compellas, quos Clemens Romanus terrestres quosdam Deos nuncupandos esse censet. Ille denique, ne esurirent miseranda haec Daemonum mancipia, integro septennio ex regiis horreis alimenta abunde subministravit, cum tui contra ministri, quo fame et inedia integras religiosorum familias vel conficiant vel ad impossibilia cogant, non jam tua, Christianissime rex, sed propria ipsorummet horrea ocludant, caveas obserent tuoque regio sigillo veluti efferae crudelitatis instrumento obsignent, et longa eos esurie affligant, quos, si divinorum bonorum oeconomos sociosque ipsius Dei vocaveris, ducem sequeris Martyrem Ignatium! Et non condemnet generationem hanc pessimam Ethnicus hic aliquando in iudicio Aegypti Rex Pharaos? Si magno ex cathedra Antiochena detonante Chrysostomo »peribunt, peribunt, qui Christum non aluerunt, et qui esurientem non cibarunt, una cum Diabolo condemnabuntur:« quomodo non peribunt illi, qui Christo in suis ministris, in suis membris alimenta per vim eripiunt. Quomodo non una cum diabolo condemnabuntur isti, qui reclusis victualibus totas religiosorum hominum congregationes diurnam esuriam pati compellunt? Quomodo non peribunt, qui tot pauperum religiosorum aerumnis, squaloribus, angustiis insuper posthabitis, luxum et quidquid voluptae est sectantur ubique, bacchantur, epulantur, helluantur? Dum gemunt integrae religiosorum exulum familiae, cachinnantur ipsi; dum illi lacrymas fundunt, hi spumantibus cyathis fundunt vina; dum illi fament, hi vomunt non crapulam modo sed et prandia tota; dum denique languent illi ac viribus defecti concidunt, hi ad cytharae sonum lascivas choreas ducunt; quibus proinde illud magni Ambrosii, qui Maximiniani coenobii ortum eodem prorsus anno felicissima sua in Trevirorum metropoli nativitate illustravit, in faciem ingeras: Tu bibis et clerus Trevirensis diffluit lacrymis; tu epularis et tot pios religiosos cibo tuo strangulas; tu symphonia delectaris et tot Dei sacerdotes miserabili deplorant ululatu; tu poma degustas et illi spinas vorant, et esurientium panis est, quem detines, nudorum vestimentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio est pecunia, quam tu effundis. Et non times, ne, qui oppressorum gemitus, famelicorum emortuas in coelum voces audit respicitque Deus, extrema isthaec barbarie compulsus ultrices tandem infandissimorum,

scelerum poenas deponat tarditatemque supplicii gravitate compenset?

Et ecce, jam Nemesis divina flagellum expedit, jam vindicem stringit vibratque gladium: jam promerita dudum supplicia intentat ac dira, horrida vobis interminatur. Auditis vaticinantem: Vae, inquit, vobis, qui separati estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis. Qui canitis ad vocem psalterii; bibentes in phialis vinum et optimo unguento delibuti et nihil patiebantur super contritione Joseph. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium et auferetur factio lascivientium; juravit Dominus Deus in anima sua. (Amos. 6.)

Vidit nimirum Deus, uti in Aegyptiaca illa olim servitute, vidit afflictionem populi sui sub Pharaonico hoc jugo vociferantis, audivit clamorem propter duritiam eorum qui praesunt, et sciens dolorem ejus tandem descendit, ut liberet eum. Juravit, inquit, Dominus in anima sua, nullus hic dubii, veniae nullus, nullus effugii locus. Migrabitis tandem, Phalarides Gallici, migrabitis, vos Proceres primi in capite transmigrantium impurissimorum militum vestrorum in captivitatem, in mortem, in supplicia dudum merita, dudum a Deo vobis parata. Appropinquavit, appropinquavit tandem iudicium vestrae immanitatis, quia vos nihil compatiendo super extrema afflictissimi Josephi, Cleri Trevirici, contritione appropinquastis ad supremum solium iniquitatis. Jamjam, turpissima Bacchi Venerisque mancipia! auferetur spurcissima haec infamisque lascivientium Gallorum factio, quae ab integro ferme biennio cum deplorando tot innocentium animularum casu, cum tot optimorum parentum filiarum suarum probra insolabiliter lamentantium gemitu, propudiosis suis effrenatisque libidinibus ipsum etiam Treviricum aërem palam incestarat nefandasque lascivias absconderat, sed sicut Sodoma et Gomorrha praedicarat. Quapropter juravit Dominus in anima sua, migrabitis in capite transmigrantium, auferetur ex sancta Trevirorum urbe factio haec lascivientium Gallorum. Ecce jam adest Austriaca magnarum alarum aquila, adest Hispano-Belgicus leo, adsunt divinae justitiae administri, tot serenissimi potentissimique Germaniae proceres, ut tollant generosi Davidis instar frenum intolerabilis tributi de manu incircumcisorum horum Philistinorum (2 Reg. 8); adsunt, ut juxta Jobi vaticinium (c. 38) appressum illud tot esurientium Religiosorum penoriis Gallicorum liliorum signaculum restituant, ut lutum et brachium excelsorum confringant. Adsunt denique et ipsi acatholici Imperii principes, ut laesi Numinis, violatorum coelitum oppugnataeque Romano-Catholicae Religionis a christianissimi regis Vicariis militibusque poenas debitas reposcant, quas tamen non tam ipsi quam vindex e coelo Deus gravissimas sacrilegis tyrannis per obsidionis hujus decursum infixit, prout

jam plenius enarrare aggredior, cetera, quae vel cum sacrilegorum poenis vel novis cleri oppressionibus affinitatem nullam habent, uti typis editis possim nota et extra praefixam mihi orbitam constituta, silentio praetermissurus.

Quarto Augusti die, quo ante biennium Galli perruptis Saravi supra urbem claustris in cismosellanam ditionem penetraverant, Trevirorum metropolis, senis ferme Gallorum millibus defensa, a caesareo octodecim millium exercitu sub Holsatii Luneburgicorumque ducum auspiciis circumsederi eminus coepit. Quo viso urbis gubernator Vignorius, quamvis sacrilegiorum commissorum conscientia turbidus ingenti pavore concuteretur, nihil tamen de usitata animi ferocia, nihil de pristino in clerum odio remittens, quos fortunis ante ac coenobiis templisque exuerat, jam ad non dubiam lanienam, ceu ultimum cruentae traegoediae epilogum destinabat. Cum enim inter portam nigram ac S. Martini Abbatiam,¹⁾ qua irrupturos Caesareos sed falso crediderat, nova erigere propugnacula novosque formare introrsum receptus meditaretur: barbaro proposito edicto clerum omnem regularem juxta ac ecclesiasticum (unis exceptis Societatis Jesu patribus, quos in specialem tutelam rex Galliae susceperat) ad funesti operis laborem accersiri ac inter horrida reboantium tormentorum tonitrua praetervolantiumque globorum fulmina moliri terram, comportare cespitem, palos defigere, cum ac non dubia multorum pernicie, Mantiano imperio eoque atroci jussit, ut plantatis juxta arboribus promptum cum laqueis ceteroque ferali instrumento adesse continuo vellet lictorem, qui obnites quoslibet recusantesque subire vitae periculum e vestigio apprehensos indicta causa ad furcam protinus raptaret, ni ipsi e sublimi prior pendere mallet. Nec ad solum terrorem funestum hunc Libitinae apparatus comparatum mox patuit, cum D. D. Canonicorum ad S. Simeonem nonnemo, qui urgentioribus negotiis impeditus ceteris operis semel adesse nequiverat, gubernatoris imperio ad infelices schalos carnificum manibus raptaretur, quos allatis aequissimis absentiae causis gallicorumque praecipue officiorum apud Vignorium patrocinio vix declinavit. Quo implacabili propositi rigore effectum est, ut, cum subtrahere sese ab insano labore de cetero nullus quovis praetextu auderet, jam non integrae duntaxat religiosorum familiae harpagonibus, ligonibus alioque instrumento rustico armatae per suas turmas in forum publicum prodirent, sed etiam tot annis monasticoque rigore fracti invalidique senes, tot capitulares religionum veterani, tot veneranda canitie, moribus, eruditione spectabiles patres, qui adhibito scipione firmare gressum vix

¹⁾ St. Martin war eine Benedictiner-Abtei nahe bei der Stadt vor dem Martinsthor an der Mosel, gegründet von Bischof Magnericus zu Ende des 6. Jahrhunderts.

poterant, tractare jam utraque manu bipalium ac inter frequentes ob virium defectum prolapsiones improbo labori diu noctuque insudare miserando prorsus spectaculo cogerentur. Nec crudeli tamen hac in Deo sacratos homines tyrannide exsatiari potuit saevus Vignorii animus. Postquam Curenses ad Martii montis radices pagum, aspectantibus eminus Caesareis, eruptione facta ex improvisa sexta Augusti die inflammasset in relictorum etiam monasteriorum extra urbem excidia, sed et simul in sui ipsius miserandum exitium homo barbarus exarsit. Restabant ex tot nobilissimis sacratissimisque suburbanis Trevirorum ecclesiis bina duntaxat ordinis S. Benedicti virorum coenobia, alterum D. Matthiae Apostolo supra, alterum gloriosissimae Virgini, martyrum reginae,¹⁾ infra urbem sacrum, utrumque extra curulis machinae jactum, utrumque religione antiquitateque celeberrimum, utrumque denique ditissimum sacrorum pignorum gazophilacium ac unicum extra urbem antiquitatis monumentum . . . Cum tandem Vignorius migrandum sibi turpissimique lucri ex horum conservatione exspectionem simul auferendam praevideret, velut cinctus indagine leo ferocire et, ne suburbanae quicquid pietatis priscive monumenti invisus sibi Trevisis relinqueret, ista etiam monasteria evertere sacrilegisque flammis ad octavum Augusti diem exurere parat.

Egreditur igitur sub primas incumbentis noctis tenebras cum delectis aliquot equitum peditumque centuriis Treviricus hic Nero, sceleratas faces nobilissimo antiquissimoque S. Matthiae coenobio temploque injecturus, vixque campum tenuerat, cum nefarium atrocis animi consilium comitibus aperit peditesque per depressionem Mosellae ripam recta ad S. Matthiae accelerare gradum jubet, equites vero secum per regiam viam eodem trahit, sanctissima duorum Apostolorum Matthiae et Philippi corpora unacum splendidissima Basilica exustus. Sed, quae fuit miserantis coeli clementia, insano molimine irritoque prorsus conatu, cum et Caesarei contra hostilem incursum prope obarmati memoratum jam coenobium insiderent ipseque Vignorius, a praecurrente Britannico-Gallorum peditatu inter opacas noctis tenebras pro hoste habitus, plumbea scloporum grandine exceptus invasusque in effusissimam cum toto equitatu fugam ad ipsas usque urbis portas a milite proprio conjiceretur. Quo infelici ut putabat eventu percussus, dum irarum minarumque plenus urbis munimentis propius cum suis adequitat, ab excubitoribus militariter acclamatus, ubi, prae furore pavoreque nimio tesserae abs se datae immemor,

¹⁾ St. Matthias war eine Benedictiner-Abtei südlich von Trier in der gleichnamigen Vorstadt St. Matthias. Die Benedictiner-Abtei St. Marien zu den Martyrern lag auf der entgegengesetzten Seite im Norden von der Stadt an der Mosel.

urbis se gubernatorem esse reponderet, nec tamen persuaderet insidias ubique metuentibus destinatis iterum ex vicino propugnaculo bombardarum ictibus appetitus praesentissimum vel a suis vel ab hostibus vitae periculum urbe exclusus adisset, nisi ex horrido vocis mugitu aliisque signis atque occurrente demum militari symbolo agnitus atque amens furensque intra moenia fuisset receptus. P'oterat sane ex nocturna hac rerum confusione, nisi totus dissipuisset, agnoscere miser homuncio vindicis Dei necdum ferientis sed tamen ultimum forte admonentis expectantisque manum, atque ejurata barbari facinoris atrocitate a meditati sacrilegiis revocare mentem debuerat. Sed cum induratum esset cor Trevirici hujus Pharaonis, nocturnam hanc perturbationem non superiori alicui potestati sed ignaviae suorum et incuriae adscribens, militibus ad tertiam noctis vigiliam iterum adesse jussis monasterii B. Mariae V. ad Martyres exustionem indixit. At quietem, quam aliis concessit, ipse perpeti non potuit, quando per eam noctis moram, morae omnis impatiens homo, nonnisi de coenobiorum excidiis ecclesiarumque exustionibus vel loqueretur vel somniaret atque ob improsporam priorem expeditionem palam S. Mariae flammam ultimamque exitium interminaretur.

(Continuabitur.)

Kleinere Nachrichten.

I. Welehrad.¹⁾

Welehrad, der Brennpunkt, in welchem sich die St. Methodfeier concentrirt, ist zwischen die ersten Terrainwellen eingebettet, welche sich in der Gegend von Ungarisch-Hradisch in Mähren vom rechten Marchufer gegen Westen emporheben. Wenn man auf der Nordbahn von Wien her kommt, so ist der Bahnhof der genannten Stadt die Stelle, von welcher man in kürzester Zeit nach Welehrad gelangen kann. Zu Fuss ist es ein Weg von etwa drei Viertelstunden. Man geht zunächst nördlich bis zum nächsten Bahnwächterhause und schlägt dann westlich einen Feldweg ein, welcher zur Welehrader Mühle führt. Von da gelangt man auf der Strasse oder auf einem Fusssteige binnen wenigen Minuten in den Ort selbst. Braucht man aber mit der Zeit nicht zu geizen, so macht man wol einen Umweg und geht oder fährt in die, vom Bahnhofe etwa eine gute

¹⁾ Durch Wiedergabe dieses auch anderwärtig benützten Artikels glauben wir dem Wunsche mancher unserer Leser zu entsprechen, und erfüllen die in Heft II S. 435 Anm. gemachte Zusage.

Die Red.